
Nos Heinricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thuringie lantgravius, Saxonie comes palatinus, recognoscimus et tenore presentium publice profitemur, quod hoc volumus quod dominus Conradus sacerdos dictus de Crucebure bona illa que temporibus avunculi nostri Heinrici Romanorum regis clare recordationis in quieta tenuit possessione, et hoc privilegiis suis probare potest, quiete possideat imperpetuum. Ipsum etiam cum eisdem bonis in nostram protectionem recipientes specialiter, sub obtentu gratie nostre firmiter inhibendo, ne quis ipsum vel in persona vel bonis predictis gravare presumat aliqualiter vel impedire. Siquis vero huius nostri mandati transgressor extiterit, sciat se gratiam nostram graviter offendisse, et ob id se a nobis taliter puniendum, quod alii exemplo illius territi a similibus perpetrandis totaliter coerceantur. In cuius facti testimonium presentem paginam dedimus et sigillo nostro communitam. Datum apud Capantu, anno domini M. CC. LIII. VIII. kal. Jan. Duodecime indictionis.

Tafel 5: Markgraf Heinrich von Meißen für den Priester Konrad von Creuzburg, 125(2) oder 1253 Dezember 25 (Nr. 84)